

## DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. IX.

In illo tempore, loquente Jesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, et adoravit eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. Et surgens Jesus, sequebatur eum et discipuli ejus; et ecce, mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim infra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus, et videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat: Recedite; non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus, et dixit: Puella, surge. Et surrexit puella: et exiit fama hæc in universam terram illam.

### CONCIONES.

- I. Pœnitentia commendatur infirmis.
- II. Pœnitentia cur non differenda de die in diem.
- III. Linguæ injuriarum vitia corriguntur.
- IV. Qui Christum comprimant, impediunt, derideant.
- V. Bona ægritudinis.
- VI. Solatia ægrorum.
- VII. Explicantur cæremoniæ, quæ defunctis adhibentur.
- VIII. Cantus sacer ecclesiasticus cur institutus.

- IX. Documenta
- X. Mystera.

#### CONCIONES AUCTARIUM.

- I. Fœdo luxuriæ morbo remedia depromuntur.
- II. Inanis gloria grandis ignominia.
- III. Peccator similis mortuo.
- IV. Quia mortui mortuos suos sepeliunt.
- V. Cura parentum erga filios qualis esse debeat.
- VI. Purgatorii animæ jvandæ.

#### CONCIO I.

##### POENITENTIA COMMENDATUR INFIRMIS.

- I. Quia sciunt, si in peccato mortali decedant, se damnandos. — II. Quia nesciunt an in statu gratiæ sint, et an perseveraturi. — III. Quia nesciunt, morituri, an victuri sint.

##### THEMA.

Veni, impone manum tuam super eam, et vivet.

Matth. IX.

Nullum fere animal est, quod in ægritudine constitutum non quærat suum remedium, uti docet Tertullianus, lib. de pœnitentia; Isidorus Clarius, vol. I. orat. LVI. Nam, ut aliqua videamus, leo æger simiam quærit, qua comesta convalescit: simia sanguinem canis: canis devorat gramen: leopardus capream: caprea diptam-

num: cervus serpentem: serpens fœniculum: ursus alvearium: ciconia organum: columbarum lauri: upupa herbam, quæ capillus Veneris dicitur: vulpes pini lacrymis sibi medetur: testudo origano: hirundo chelidonia herba cœcutientibus opitulatur pullis. Jam si bruta animalia norunt mederi infirmitatibus suis, naturali quoque impetu medelam sibi quærunt: æquum sane est, ut illorum imperator, homo, et ipse suæ ægritudini medicinam norit et impense quærat. Eam vero sub eleganti symbolo demonstrat archisynagogus in hodierno evangelio, cum extreme laboranti filiæ (ut habent Marcus et Lucas) remedium quæsiturus manum Christi implorat: *Veni, impone manum super eam, et vivet.* Quid vero manus ista, nisi potestatem et efficaciam absolutionis sacramentalis, quæ ab antiquo et recepto more per manus impositionem confertur, exprimit? Manus igitur sacerdotis re-

medium est peccatoris, secundum animam ægrotantis; quam, si unquam alias, requirere et summo quidem studio, in ægritudinem gravi similique vitæ periculo constitutus debet. Alioquin enim certo vel probabili periculo damnationis se exponeret, si confitendi occasionem, in peccato mortali positus culpa sua negligeret. Ea propter medicis præcipitur in c. Cum infirmitas, de pœnit. et remiss. *Ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant atque inducant, ut medicos advocent animarum.* Rationem exponit S. Aug. l. L. hom. ho. XXXVII. « Si sic curritur, (ad medicum,) inquit, propter lucrum paucorum dierum, quia et usque in senectam pauci dies: quomodo currendum est pro vita æterna? » Cum ergo quivis ægrotans periculose decumbens teneatur jure divino remedium hoc pœnitentiæ animæ suæ quærere, videamus argumenta, quæ ad hoc præstandum compellere eos debent.

Tria videntur impulisse archisynagogum ad implorandam Christi salutarem atque auxiliarem manum. Primum scivit, alterum nescivit, tertium ex parte scivit, ex parte nescivit. Primum est, quod Christus posset sanare filiam, et hoc scivit nihil dubitans; ait enim: *Impone manum tuam super eam, et vivet:* alterum, utrum Christus venturus esset ad filiam, et hoc nescivit; ideo adoravit eum et rogat: tertium, utrum filia adhuc viveret; et hoc partim credidit, quia apud Marcum asserit: *Filia mea in extremis est,* partim non credidit, quia apud Matthæum ait: *Filia mea modo defuncta est.* Tam enim extreme laborantem domi reliquerat, ut videretur ipsi jam mortua. Pari ratione tria sunt argumenta, quæ impellere ægrotum debent ad sacramentum pœnitentiæ ocius requirendum. Unum est, quo novit, se nimirum damnandum si in peccato lethali decedat: alterum quod nescit; utrum in gratia sit constitutus, an in peccato mortifero: tertium partim scit, parum scilicet temporis sibi superesse ad agenda pœnitentiam; partim nescit, quia convalescere potest.

I. Igitur in primis nosti, mi ægrote, quid Sapiens dicat, Prov. V. *Iniquitates suæ capiunt impium et funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam.* Quibus verbis indicat peccatum esse quasi lictorem, qui furem insequitur, et deprehensum vincit, traditque magistratui. Jam vero quis nescit furem, cum in periculo captivitatis est, furtum illico abjicere et fuga sibi consulere? Certe etiam piscium prædones; ut lucii, cum se in angustiis conclusos et captivos animadvertunt, prædam jam devorata ac pene digestam evomunt. At-

qui tu infirme, nonne in angustiis positum te vides? Nonne vides insidiantem tibi mortem, veluti lictorem funibus peccatorum tuorum onustum, ut te iis liget, et ad mortem æternam abripiat? Quin igitur te exoneris, et furta omnia abjicis, ne reum te deprehendat? Cur non ocius arripis: *Disciplinam pœnitentiæ?* Hanc enim qui non habuerit: *Ipse morietur,* inquit Sapiens, q. d. æternum peribit. Dic quæso: Si cui domino infideliter serviisses et res pretiosas ei ablatas in cistam tuam abdidisses, audiresque dominum paulo post omnium servorum cistas lustraturum, quo res suas recuperaret, et reum in crucem ageret, nonne tu hoc audito res illas quamprimum e cista tolleres, et loco securiore conderes, vel clam domino restitueres? Atqui revera tu hoc egisti; peccatis enim tuis Deo gloriam et obsequium debitum abstulisti: furtum vero illud in conscientia tua reclusum geris. Væ igitur tibi ægrote; jam enim Dominus tuus visitare te constituit, jam in via est, jam claves arripit, jam quatit: *Quid dices, cum visitaverit te?* inquit Jerem. c. XIII. quid cum reum deprehenderit? Obmutesces utique, quemadmodum et ille, qui sine veste nuptiali deprehensus est in convivio, et olim fratres Josephi deprehenso apud se scypho ejus, Gen. XLIV. Contigit hoc ipsum Salomoni alioquin sapientissimo, qui cum in ipso etiam seniosecutus esset deos alienos, et adamasset mulieres alienigenas, postquam ei Deus apparuerat secundo et monuerat, ne sequeretur deos alienos, tandem apparuit ei ultimo quasi visitans illum, ut in scelere deprehensum reum ageret. Quid vero ad ipsum ait? *Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, dirumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo,* III. Reg. XI. Quidnam illud hoc? Idola et meretrices; hæc invenit Deus apud Salomonem. Et quid nunc respondes Salomon, virorum sapientissime? Quomodo te purgas. Ne verbo quidem. Obmutescit igitur sapientia Salomonis deprehensa in flagitio; et quid dices tu peccator, cum visitaverit te Deus? Videtur Deus cum Salomone servare voluisse juridicum processum, citando et monendo eum tertio: semel, c. I. rursus, c. VI. denique, c. XI. quasi peremptorie, cum redarguit deprehensum. Quando lethalis ægritudo corripit peccatorem, tum certo sibi persuadeat citari se peremptorie, ac proinde festinet visitare semetipsum, priusquam visitetur. Visitat seipsum in confessione, cum inquit in peccata sua, ut ea tutiore loco abscondat, sub tribunali pœnitentiæ. Non dubito, mi ægrote, vel quicumque es, qui de vita periclitaris: si per totum diem potasses in taberna, quin tandem ingruente nocte domum discessurus prius

cum caupone subduceres rationes. Si enim clam ipso te subducere non confectis rationibus velles, num securus fores? Nonne a tergo haberes, qui te comprehensum retraheret in tabernam, et ob bene curatam cutem pro merito mulceteret? Ita opinor, nec dubita idem facturum Deum, in cuius taberna toto pene vitæ decursu edisti, bibisti, lusisti, si insalutato seu non conciliato hospite discesseris ex hoc mundo.

Videtur hoc præceptum Deus sub alio etiam schemate inculcare nobis voluisse, quando Gen. IX. præcepit, ut pecudum mactandarum sanguis effunderetur, ita ut non liceret edere carnes pecorum in sanguine suo suffocatorum. Sanguis autem in ss. litteris peccati typus est; quia sicut caro animalium mactatorum inficitur a sanguine, si non effundatur, sed in ipsis maneat: ita hominis anima inficitur a peccato: et quemadmodum sanguis brutorum comestus facile morbos gignit, utpote gravis et melancholicus: ita peccatum animam sauciat ac debilitat. Ergo si quis talem sanguinem in animo suo gerit, priusquam a lanione illo, morte feriatur, effundat illum necesse est, quia abominatur Deus conscientias suffocatas in peccatis: exclamet itaque eum David, Psalm. L. *Libera me de sanguinibus, Deus salutis meæ.*

II. Nescis, mi infirme, utrum in statu gratiæ sis; et si istud scires, nescis tamen, an in eo sis perseveraturus: ait enim Ecclesiast. c. IX. *Nescit homo, utrum odio an amore dignus sit.* Idem fassi sunt viri etiam alioqui sancti, ut S. Job, cap. IX. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea:* S. Paulus: *Nihil conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum,* I. Cor. IV. S. Bernardus, serm. III. de adventu: « Cum et meam et proximi conscientiam, inquit, debeam servare, neutra mihi satis nota est: utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est: » S. Greg. I. VI. ep. XXII. ad Gregoriam Augustæ cubiculariam scribit: « Secura de tuis peccatis fieri non debes, et quousque veniat ultima vitæ tuæ dies, semper suspecta, semper trepida metuere debes: » abbas Agathon moriturus tres dies mansit immobilis, apertos habens oculos. Pulsaverunt autem eum fratres, dicentes: *Abba, ubi es?* Et ille respondit: *In conspectu divini iudicii assisto.* Dicunt ei: *Et tu times?* Quibus ille: *Interim laboravi virtute, qua potui in custodiendis mandatis Dei, sed homo sum, et nescio, utrum placuerunt opera mea coram Deo.* Dicunt ei fratres: *Et non confidis de operibus tuis, quia secundum Deum sint?* Et dixit senex: *Non præsumo nisi venero ante Deum: aliter enim sunt iudicia Dei aliter hominum, in vitis pp. I. V. c. XI.* Denique, Salomon, Prov. XX. exclamat: *Quis po-*

*test dicere: Mundum est cor meum?* Ac licet hoc aliquis dicere posset, num tamen addere auderet: *Mundum erit semper cor meum?* Minime gentium. Jam vero ut saltem assequamur, perseverare in gratia usque ad ultimum vitæ spiritum oportet. Quamobrem etiam Pythagoras dixit: *In poculi fundo residuum ne relinquantur,* indicans ceptum opus bonum vivendique rationem ad finem usque perducendam esse. Hinc igitur eliciamus necessariam esse poenitentiam omnibus hominibus, quando nemo asseverare potest, sese justum esse. Docuit hoc inter alios S. Augustinus, qui in ultima sua ægritudine psalmos poenitentiales majusculis sibi describi jussit in pariete, ut eos præ oculis semper habens relegeret; quod et fecit assidue profusus lacrymis, adjungens: *Neminem Christianum quantumcumque laudabilem sine poenitentia decedere debere,* Sarius in vita, mense aug. cap. XXXI. Ad stipulatur ei S. Hieron. in Jer. c. XXX. « Omnis mundus, inquit, indiget misericordia Dei, et nullus quamvis sanctus sit, securus pergat ad iudicem. » Viator qui per latiore fossam saltum facere periculosum debet, prius indagat, ubi pedem figere debeat, tum sarcina se exonerat, postea ad saltum pedes colligit, nixusque scipione transilit. Lata et periculosa fossa est transitus ex hoc in alterum illud sæculum; jureque de hoc intelligimus, quod Isai. c. XXIV. vaticinatur improbis ad extremam mundi cladem: *Formido et fovea et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Eadem enim hæc mala expectant peccatorem in fine vitæ suæ: formido separationis a corpore et hoc mundo: fovea transilienda, ab hoc in aliud sæculum, sive ad iratum sive ad placatum iudicem: laqueus sententiæ judicariæ, quæ ligabit et tenebit iudicatum. Atque hæc videntur esse tria illa, quæ timuit abbas Elias, in vita ss. pp. *Primum, inquit, quando egressura est anima mea de corpore; secundum, quando occursurus sum Deo; tertium, quando adversum me proferenda est sententia.* Quando igitur tam periculosa fovea transilienda est morituro, nonne prius inspicere debet, ubi pedem figere et quomodo salutem suam in tuto ponere velit? Nonne sarcina peccatorum sese exonerare? Nonne affectuum suorum pedes a terrenis abstrahere et ad cœlestia paranda colligere? Hanc ob causam Ezechias accepta mortis sententia, avertit faciem suam ab adstantibus, et convertit ad parietem (IV. Reg. XX.) flens et orans Deum, ut ab aliis curis liber, sibi ipsi attenderet, quemadmodum sentit Lyranus ibi. Id ipsum ut mysterio exprimeret Jacob patriarcha jamjam moriturus: *Collegit pedes suos super lectulum;* (Gen. XLIX.) quasi se componens ad saltum in vitam

alteram. Securior porro hic saltus erit, si præter poenitentiae sacramentum, etiam s. eucharistiæ quasi scipionis nixu fiat, ut ita possit moriens dicere, una cum Jacobo: *In baculo transivi Jordanem istum,* Genes. XXXII. Transitum Jordanis fuisse mortis typum, perpiscuum est ex ss. litteris. Etenim Jordan *fluvium* seu *delapsum iudicii* significat, idemque ostium et ingressus est in terram sanctam; proinde transitum ex hac vita ad alteram, seu mortem aptissime designat. Quis autem dubitat Jordanis transitum fuisse Judæis pavendum, intumescens ex una parte aquis et mersionem comminantibus? Propterea itaque Josue populo in crastinum transituro poenitentiam et sanctificationem seu puritatem animi indixit: *Sanctificamini; cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia,* Jos. III. Nonne mirabilia sunt, quæ in altero sæculo experuntur, recens mortui: severissima Dei judicicia, dæmonum aspectus, inferorum poenæ, beatorum gaudia, etc. *Sanctificamini* igitur, seu ut Septuaginta exponunt: *Puri et casti efficiamini,* o morituri, priusquam hæc mira intueamini. Nemo nisi purus, nemo nisi lotus in promissam cœli patriam admittitur. Olim Deus sacrificium pro peccato, priusquam acceptaret, cremari in altari voluit, Levit. IV. Et nos ad mensas nostras avem non admittimus, nisi prius interemptam, deplumatum et assatum; quid mirum, si Deus pari modo non admittat in regnum suum, nisi crematos igne contritionis? Nisi mactatos, deplumatos et excoctos per poenitentiam? Contritio mactat peccatorem, confessio deplumat, satisfactio vero excoquit et assat.

III. Forsan ais: Juvenis adhuc aut vegetus sum: convalescam ex hac infirmitate. Sed quid si decipiaris? Tam enim juvenis, quam senex: tam vegetus quam debilis cito mori potest: quia ex eadem fragili massa et hic et ille constat. « Ut vasa fictilia, inquit Hector Pintus, in Ezech. cap. XLVIII. æque sunt obnoxia periculo, sive sint nova sive diuturna: sic homines æqualiter sunt mortales et interitus periculis expositi, sive sint adolescentes et in ætate florente, sive sint senes et ætate progressi. Si in figulinam ingressus videris mensam fictilibus vasis refertam, quibusdam recentibus quibusdam vero antiquis: aliis magnis, aliis autem parvis: et ex figulo quæsieris: Quod ex illis est prius frangendum, illud, respondere poterit: Quod prius ceciderit in terram. Ita ex hominibus ille prius excedet e vita, non qui fuerit antiquior, sed qui prior fuerit delapsus in terram, qui sepulcrum prius tetigerit. Quid aliud est sæculum hoc quam figulina quædam, nos autem quid

aliud sumus, quam vasa quædam fictilia? ita intuens regius vates aiebat: Tamquam vas figuli confringes eos, Psal. II. » Hæc Pintus. Quid quod juvenes sæpe citius expediuntur a morbo quam senes et maturi? Ægrotavit Ochozias rex, lapsus per cancellos, IV. Reg. I. misitque ad Beelzebub, consultum an victurus esset. At occurrit ei Elias et respondit, eum de lectulo suo nequaquam surrecturum, sed morte moriturum. Ægrotavit etiam Abia, filius Jeroboam regis, adhuc puer: misit ergo pater conjugem ad Abiam prophetam, interrogatum de salute filii. Respondit etiam Abias, moriturum esse filium, et incunctanter quidem, ad ingressum matris in urbem, III. Reg. XIV. Tam ergo puero, quam adulto mors denuntiatur, sed puero festinantior, qui mortem a se longius distare opinabatur. « Ut qui faciunt iter, inquit Pintus loco citato, de solis occasu aliquando non cogitant, et eos nox opprimit incautos: sic mors multos aggreditur de illa minime cogitantes. » Inexpugnabilem reputabat suam Babylonem rex Balthazar, utpote muro altissimo (ducentorum cubitorum) et latissimo (quinquaginta cubitorum), ex alia quoque parte Euphrate, flumine profundissimo munitam; itaque licet Cyrus eam obsideret, ipse nihilominus dies festos et convivia agebat, epulabatur et bacchabatur. Sed interim Euphratem Cyrus in quam plurimas fossas prius præparatas, una nocte derivavit (quod factu impossibile putabant Babylonii) sicque nullo negotio per siccum ad civitatem penetravit eamque occupavit, ut tradit Xenophon, I. VII. Herodotus, I. I. et ex parte Daniel, cap. V. Contingit hoc quam plurimis adolescentibus, qui licet morbo obsessi, invictos sese reputant, ideoque de poenitentia et reconciliando sibi Deo nihil fere cogitant, sed spe salutis pleni in peccatis suis quiescunt: interim miseri non cernunt, quot cuniculos ipsis parat mors, quodque decursum vitæ eorum alio derivet in alterum scilicet sæculum; et ita sæpenumero ex improvise obruuntur, ut jam nec loqui nec poenitere queant. Stultus et deplorandus foret, qui videns hostem foris molendina destruere, commeatum intervertere, aquas urbi adimere, vias obsidere et jam tormentis muros quatere: interim ipse securus inter civitatem degeret, rideret, luderet, biberet, dormiret, quasi insuperabilis esset. At hoc multi faciunt, qui tametsi videant vim morbi invalescere, dentes cibum ægre molere, appetitum perire, sensus hebetari, artus et ossa concuti, nihilominus sibi persuadent se incolumes fore, nec cogitant de Deo propitiando per poenitentiam vel de oppu-

gnando dæmone; mortem sibi a tergo instantem sentiunt vel audiunt etiam a medico, nec ad pœnitentiam festinant. Quæso inspiciant isti filiam Jephthe. Hæc ex voto patris morti et immolationi destinata, hoc unum a patre petiit, ut deflere prius sterilitatem suam posset, quasi maledictionis notam: *Hoc solum mihi præstat*, inquit, *quod deprecor: dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes et plangam virginitatem meam*, quod scilicet absque liberis moriar, Judic. XI. Jam vero quid si tu ægrote hujusmodi virgo sis, sterilis videlicet et bonis destitutus operibus; et quid si Deus, pater tuus, te mortis jam destinavit? Quid si brevi mactet? Et tu igitur in tanto constitutus periculo non quamprimum petas a Deo spatium pœnitendi, dicens cum S. Job, c. X. *Numquid non paucitas dierum meorum finiatur brevi? Dimitte me ergo ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine?* Postulo, inquit, temporis spatium, sed non risui, non voluptati, sed lacrymis sed mœrori. Et mirabile est, quomodo ægroti aliis rebus intenti præterquam salutem suam adeoque pœnitentiæ esse possint, in tali constituti periculo. Filia illa Jephthe non postulat a patre ut prius nuptias celebrare et filios progignere: non ut cum sodalibus choros et choreas instituere: non ut charos parentes et propinquos amplecti, sed ut montes circumire et plorare queat. Igitur et tu infirme, hoc unum a Deo postula ut quod superest tuæ vitæ, in mentis solitudine, in pœnitentia et lacrymis, quibus sterilitatem et peruersitatem tuam deploras, insumere tibi liceat. Circuito montes, perambula omnes vitæ et vitæ tuæ semitas, in quibus deliquisti: tum mitte ad sacerdotem ut veniat et imponat tibi manum sacræ absolutionis, quo secundum animam saltem vivere æternum queas.

## CONCIO II.

POENITENTIA CUR NON DIFFERENDA DE DIE IN DIEM.

I. Quia Deus te expectat ad pœnitentiam. — II. Quia periculum in mora. — III. Quia de uno peccato in alia labi proclive. — IV. Quia interim multa bona perduntur. — V. Quia qui semper differunt vix unquam efficaciter volunt. — VI. Quia quo diutius differtur pœnitentia eo fit difficilior. — VII. Quia stultum est nolle statim ejicere hostem.

## THEMA.

*Domine filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.*

Matth. IX.

Archisynagogum istum, merito et nos tam-

quam legis etiam nostræ doctorem audimus, auditores. Duo enim nos docet summopere necessaria et salutaria. Primum, post peccatum admissum, statim quærere remedium, nec differre pœnitentiam: alterum, festinare ad sacerdotem qui per manus impositionem absolvat nos a peccato. Nimirum: « Cum esset archisynagogus, ait Petrus Chrysologus, ser. XXXIII. legis notitiam hic habebat, et verbo cætera, hominem manu Dei legerat esse figuratum: credidit ergo eadem manu, qua creatam senserat filiam recreari et reduci posse ad vitam. » Filia nostra unica (qualis erat hæc Jaira) anima est, quæ heu moritur, cum peccatum lethale admittit: *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur*, Ezech. XVIII. Est tamen morti huic remedium, si pergas ad confessarium, rogesque ut per manus impositionem revocet ad vitam animam tuam. Sed vide ut festines cum archisynagogo, dum adhuc calet anima: vide ne die in diem differas, quia unica tibi est anima. Nam ut ait Chrys. hom. XXII. ad pop. « Omnia nobis duplicia dedit Deus: duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes. Si igitur horum unum lædatur per alterum necessitatem consolamur: animam vero dedit unam nobis. Si hanc perdidimus, quam vivemus? Hujus igitur providentiam faciamus: nihil ipsius salutem præferentes. » Sic Chrysost. Animæ igitur salutem ne differamus quærere, multa sunt quæ urgent: uti mox videbimus.

I. Quia Deus nos expectat ad pœnitentiam, qui nos omni momento perdere in gehennam potest multo facilius, quam si e manu nostra sinamus cadere vitrum in terram ut minutatim confringatur. Sane si vocemur ab aliquo rege vel principe nostro ad amicitiam resarciendam, quam nos violavimus, quis auderet tergiversari? Quis vellet moras nectere? Atqui hunc in finem vocat nos Deus: audemus nos vel ad momentum inimicitiam cum eo gerere? Antiochus Epiphanes cum obsideret Alexandriam, quæ sub tutela Romanorum erat, missus ad eum Popilius Lænas, senator Romanus, est, qui jubere eum obsidionem solvere; sin minus, hostis Romanorum censeretur. Respondit ille se hanc rem maturius deliberaturus ac responsurum. Ad quod senator, lineam in circuitu Antiochi fecit dixitque: *Hocne in dubium revocandum est, an hostis Romanorum sis? Non præteribis hanc lineam, donec id definias ac decernas.* Tunc ille: *Parerebo*, inquit, et obsidionem solvit, Plutarch. in apophth. Quanto æquius dici peccatori potest: Tunc audeas differre reditum in Dei amicitiam? Non præteribis diem, solis circulum, donec id

definias. Alioquin, quomodo non iram Dei in te magis magisque extimulas, qui tam diu expectantem differs? Memor esto vineæ illius, Isa. V. a qua Dominus expectavit uvas et accepit labruscas, ideoque diripi eam jussit. Memento ficus infœcundæ, quæ triennio frustra expectata ut faceret fructum, tandem excindi jussa est, Luc. XIII. Nec mirum; in maximam enim Dei injuriam redundat hæc negligentia, quasi stupidum aut ligneum haberemus Deum. Unde S. Chrysost. hom. XLVI. ait: *Peccantes non dolere, magis Deum irritari facit et irasci, quam peccare.*

II. Quia periculum in mora; forte enim vita tibi tamdiu non prorogabitur donec respiscas; et si ea concedatur, forte non dabitur gratia per quam respiscas. Festinandum igitur ad pœnitentiam, sicut ad piscinam probaticam, cum moveretur aqua, ne forte alius prior descendat, et postea occasio calva sit; qui enim prior descendisset in piscinam, sanus fiebat, Joan. V. Unde Ecclesiasticus, cap. V. ait: *Non tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius et in tempore vindictæ disperdet te.* Et forte non dubitandum, quin sæpius movenda sit aqua, hoc est, offerenda tibi gratia vocationis: sed incertum est, an tu motionem illam et vocationem animadversurus sis. Optime Tertullianus, in lib. de pœnitent. ait: *Pœnitentiam tu peccator ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem: et Ambros. in tract. ad virginem lapsam, c. VIII. Insiste fortiter, inhærere tamquam naufragus tabulæ.* Ejusmodi enim homo nequaquam differt, sed proxime oblitam tabulam arripit quia periculum est in mora. Sic agendum in pœnitentia, quæ est secunda post naufragium tabula. Sed forsitan obijcies, passim in Scripturis vitam et salutem promitti sperantibus in Deum. Sed non advertis miser promissiones illas, non peccatoribus sed justis tantum factas: *Oculi Domini super justos*, ait David, Psal. XXXIII. *et aures ejus ad preces eorum:* et Isa. III. *Dicite justo, quoniam bene.* Aliter sane loquitur de peccatoribus, nimirum: *Succide arborem, ut quid etiam terram occupat?* Luc. XIII. et Matth. III. *Omnis arbor quæ non fecerit fructum bonum, excidetur, etc.* Neque blandiaris tibi de Dei misericordia; siquidem in ipso est etiam justitia et quidem severissima: quoniam angelis peccantibus non pepercit, sed ob unum peccatum eos in tartarum demersit. Idem etiam ipse est, qui de altissimo throno gloriæ conspiciet animas in illis intolerandis gehennæ ardoribus miserime torqueri, ejulare et lamentari, nec tamen his lamentis movetur aut movebitur ad misericordiam in omnem æternita-

tem. Vide igitur tu, ne nimium tibi blandiaris.

III. Quia de uno peccato, nisi cito respiscas, mox præcipitaberis in alia: unum pariet plura, uti patet in Caino, qui ex invidia in odium, inde in homicidium, hinc ad mendacium, deinde ad rebellionem in Deum, ultimo in desperationem prolapsus est: in Davide, qui ex adulterio in homicidium; unde S. Chrysostomus, homil. XXII. ad pop. Antioch. ait: « Peccatorum consuetudo lapsus in pejus trahit. Si purum habes vestimentum, lavas ne pessumdet omnino, ne quo modo sordidetur. Si primam, secundam et tertiam contempseris maculam, jam velut sordidum habens vestimentum, non grave videtur, licet totum fiat lutum. » Sic ille. Quis nescit funiculum unum facile quidem rumpi, sed si plures connectantur difficillime? Atqui peccata peccatis addendo necis tibi funem semper crassiorem: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis*, ait Isaias, c. V. Quæ verba sic vertit Syrus: *Væ qui protrahunt peccata sua tamquam funem oblongum et quasi vinculum currus peccatum suum.* Quemadmodum etiam pecuniæ a sceneratore acceptæ, nisi mature solvantur, semper debitum augent: ita et peccata, quæ non mox delentur, accrescunt. Fenerator enim diabolus peccatis quasi usuram exigit: quæ dum reddis, thesaurizas tibi iram in die iræ, etc.

IV. Quia plurima interim bona perdis, quæ lucrari posses, si in statu gratiæ esses. Quamdiu enim in peccato es, uxor tua anima tua, mortuos tibi fetus parit, opera videlicet merito carentia, ad cælum nihil proficua et quo tempore alii cælum diripiunt, tu interim abes, dormis et nihil participas. Evenit itaque tibi, sicut cuidam Judæo vitriario in vita S. Simeonis Sali; qui Judæus quamdiu in perfidia sua mansit, nullum integrum vitrum (precante hoc a Deo Simeone) facere potuit, sed omnia ipsi fracta sunt, donec crucem in fronte pingeret et perfidiam ejuraret: quod et fecit, hortatu Simeonis, apud Sur. in vita. Pari modo tu, dum in peccato hæres, nullum facere opus bonum, cælo dignum potes. Frangitur quidquid facis.

V. Quia qui de die in diem differunt, fere nunquam efficaciter volunt: et qui proxima oblata occasione non incipit, vix postea incipiet. Differunt de festo in festum, de anno in annum, nullum tempus placet: sicut Acesseus iners nauta omnes lunas causabatur esse infaustas et ideo nunquam navigabat, (Chavass. de prudentia, l. I. c. III.) semper in statione erat. Velut etiam pigræ puellæ linum quidem alligant colo, et sic eam circumferunt, sed manum fuso non applicant, nec filare incipiunt: ita multi linum